

Qualités militaires de Jules César

Armorum et equitandi peritissimus, laboris ultra fidem patiens erat¹. In agmine nonnumquam equo, saepius pedibus anteibat, capite detecto, seu sol seu imber esset ; longissimas uias incredibili celeritate confecit, expeditus, meritaria raeda, centena passuum milia in singulos dies ; si flumina morarentur, nando traiciens uel innixus inflatis utribus, ut persaepe nuntios de se praeuenerit.

In obeundis expeditionibus dubium cautior an audentior, exercitum neque per insidiosa itinera duxit umquam nisi perspeculatus locorum situs, neque in Britanniam transuexit nisi ante per se portus et nauigationem et accessum ad insulam explorasset. At idem, obsessione castrorum in Germania nuntiata, per stationes hostium Gallico habitu penetravit ad suos. A Brundisio Dyrrachium inter oppositas classes hieme transmisit cessantibusque copiis quas subsequi iusserat, cum ad accersendas frustra saepe misisset, nouissime ipse clam noctu paruulum nauigium solus obuoluto capite conscendit, neque aut quis esset ante detexit aut gubernatorem cedere aduersae tempestati passus est quam paene obrutus fluctibus.

Ne religione quidem ulla a quoquam incepto absterritus umquam uel retardatus est. Cum immolanti aufugisset hostia, profactionem aduersus Scipionem et Iubam non distulit². Prolapsus etiam in egressu nauis, uerso ad melius omine : « teneo te », inquit, « Africa ».

Suétone

¹ Le sujet est « César ».

² En 46, César poursuit ses adversaires en Afrique et affronte Metellus Scipion et son allié Juba de Numidie.